
IO. FRANCISCI BONI
DE LAVDIBVS VILLVLAE ARIENTINAE ALCON.

AD ALBERTVM BOLOGNETVM Massæ Episcopum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, apud Rempublicam Venetam Nuncium.





Venetijs, M D LXXXI.

IO. FRANCISCVS BONVS PRAESTANTISS. ATQVE ILLVSTRISSIMO VIRO ALBERTO BOLOGNETO MASSAE

Episcopo, & S. R. E. apud Rempublicam Venetam Nuntio S. P. D.






IOANNES Marius Verdizotus, Præsul ornatisſime, vir (ut ſcis) integerrimus, & utrique noſtrum coniunctisſimus; quẽ ob ſingularem eruditionẽ mirifice diligo, atque obſeruo, ut aliquid de Villulæ Arientinæ laudibus conſcriberẽ me tuis uerbis humaniſsime hortatus eſt. Quapropter licet ad hoc onus ſubeundum parum aptum me norim, præſertim cum nonnullis ab hinc annis grauioribus ſtudijs occupatus, Muſis, quibus à puero ſummopere delectatus ſum, uale iam dixerim; tamen quia me in tuorum ſeruorum numerum adſcribi, tibiq; in amicitiam adiungi uehementer cupiebam (quid enim mihi accidere poſſet optabilius, quàm ut aliqua in re nobiliſsimo, atque Illuſtriſsimo viro gratificer?) me illi,

ac tibi præcipuè, uelle, quo melius possem, obtemperare omnino animum induxi. Pauca igitur hæc carmina, quę tibi concedere libuit, quibus & illa, quę in Hætrurię Principis ortu, & quæ de ingenti urbis Ferrariæ terremotu iam cōdideram, adiunxi, primum meę erga te obseruantiæ signum, qualiacunque sint, libenter accipe: ut ex hoc me tibi deditissimum esse & tu, & cæteri omnes intelligant. Vale.

IO. FRANCISCI BONI
DE LAVDIBVS VILLVLAE ARIENTINAE.
ALCON.

AD ALBERTVM BOLOGNETVM Massæ, Episcopum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, apud Rempublicam Venetam Nuncium.





IAM passim uasto fulgentia sidera ponto
Alto præcipitans cælo nox cæperat atra
Condere, Tithoni linquensq; Aurora cubile
Signa dabat Phœbi lucis mortalibus almæ,
Et uolucrum dulci resonabant carminæ siluæ,
Cum vitream lætus sistens ad fluminis undam,
Spumoso Euganeos circum qui gurgite colles
Labitur, & tremulum se se diffundit in æquor.
Scilicet ante omnes Musis gratißimus Alcon
Doctus Apollineo modulari carmina plectro
Dulces Castalio uoces has fudit ab ore:
Insigni tollant alij super æthera laude

Felsina rura tui placidis sacrata Napæis,
Et nemora, & gelidis rorantia fontibus antra,
Barbianumq; situm apricis in collibus almum.
Aurea cui fulgent picto sub fornice tecta;
Quinetiam validis innixa theatra columnis,
Adspicias quibus aut Montes, aut lustra ferarum
Longe, seu nitidos riguis in uallibus amnes;
Nec non conspicuis præcinctas mœnibus urbes.
Deliciasq; canant culto dignissime versu
Tusculane tuas, viuoq; sedilia saxo,
Marmoreamvè domum, tollit quæ ad sidera culmen,
Maioricensis celebris quam condidit Heros,
Auratasq; trabes, an Mauros vndiq; Postes;
Mirentur circum querulo vel murmure riuos
Labentes, gelidumvè nemus, seu rosida prata,
Et quicquid pulchrum nemorosaq; silua, feraxq;
Rus habet alliciens animum, ceu frigida Tempe.
Namq; Arientinum fidibus mea Musa canoris
Extollet, cui non foribus domus alta superbis,
Nec uarij splendent pulchra testudine postes.
Illusæq; trabes auro, Ephireiaq; æra,
Ingenio aut loca conspicuis circundata lymphis,
Aethera quæ possint leni mulcere susurro,
Sed quibus ardentes placidis spirantibus auris,
Effugias solis radios feruente sub æstu,
Et gelidum captes viridi deiectus in vmbra
Frigus, Pindaricis suadensq; incumbere plectris;
Apta quoq; infestas animi depellere curas.

Rusticitate sua, ac ipsis fulgentibus astris
Contenta illa quidem, hic molles sub arbore somni;
Hic secura quies, & nescia fallere uita,
Prospectus hic conspicui, hic uiridantia Prata,
Umbrosiq; recessus, & peramæna vireta,
Ver quibus assiduum tepidi fert Aura Fauoni.
Hæc circum gelido qua Fons nitidissimus antro
Prosilit, & virides qua se subducere colles
Incipiunt, molliq; iugum demittere cliuo,
Dulcisonis cantat tristis Philomela querelis,
Atq; alijs resonant auibus virgulta canoris.
Præruptæ, aut etiam planæ nemus inter opacum,
Decliuesq; uiæ haud absunt, nec ardua rupes;
Quæ tamen assiduè verno se gramine vestit,
Nec quæ purpureis decorantur floribus herbæ,
Serta quibus capiti intexant redolentia Nimphæ;
Nec quæ bis geniti generosæ munera Bacchi
Fronde sub arborea nectunt vmbracula vites,
Nec loca, rara quibus vel crassis retia Turdis
Tendas, vel cupidis fallacem piscibus hamum:
Adde etiam sacras tum propter frondea tecta
Aedes, tum corilos, & siluas inter opacas,
Aetherea in quibus extollas ad sidera mentem,
Aut celebrare queas diuinis laudibus illum,
Qui Mare, qui Terram, qui Cœlum numine complet.
Quid topiaria passim graminea obruta fronde?
Quid varios referam fructus? quid mitia poma?
Castaneas molles, & fraga rubentia rostro?

*
...t quas pampineas
...utumnus porrigit
...uas!

Aut quas Autumnus mithi naeas porrigit uuas?
Quiduè alios terræ fœtus? quid roſida mela?
Quid tremuli referam tremebunda coagula lactis?
Aut aptum nubes animi depellere Bacchum?
Huc properant ſacro Aonij de uertice Montis
Aethera mulcendo Phœbi pia Numina cantu.
Hac Dea ſiluipotens caſtis comitata puellis
Auritos agitat lepores, hic Pana canentem
Poſt habito Agricolæ referunt vidiſſe Liceo,
Saltantes ſatiros, & ruſtica Numina Faunos.
Hic ſe quocunque ingrederis reſonabilis Echo
Quippe addit ſociam gaudens conuallibus, atq;
Si gemis, illa gemit, ſi clamas, clamat & illa.
Perpetuò hic ſpirant Zephiri, atq; ſalubrior Aura.
Fluminis; his dictis; circum pia Numina Vatem
Candentes uiolas, flores ſparsère Napeæ,
Et totum inſolito cælum ſplendore refulſit.

In Hetruriæ Principis Ortu.



Ortunate Puer, felici e germine germen;
Quem Pater, inſignis genuit, quem regia Mater,
Vt ſolio felix olim potiaris auito;
Quis me felicem, fortunatumq; negarit,
Cui te præſentem fas eſt cognoſcere Diuum,
Cui pia thura damus, puramq; adolemus aceram?

Ergo age lætius ades, nostrisq; adlabere votis
Summe puer soboles seclo gratissima nostro.
En tibi nunc resonat plausu, & clangoribus Aether,
En tibi nunc varios tellus fert Dædala flores.
Aspice sidereo fugiunt vt nubila cælo;
Acclamant omnes, feliciaq; omnia dicunt,
En tibi tergeminæ nent aurea fila sorores;
En tibi sacra canunt docti pia numina Phæbi
Carmina; odoratisq; exornant tempora sertis,
Quæ tibi dum uiues capiti venerabile signum
Sint, quibus illustri semper celebrabere fama
Sol & vbi exoriens lucem mortalibus almam
Fert, & vbi moriens accendit sidera cælo.
Ergo age magne Puer, magnam complectere Matrem
Austriacam gentilitijs regalibus ortam.
Ergo age magne Puer magnum amplexare Parentem
Hetruscum medica præclara ex stirpe profectum,
Eximias cuius qui amplecti versibus omnes
Laudes optarit, Libici velit æquoris idem
Dicere quot leni Zephiro voluantur arenæ,
Nimbifer aut curuis cum nauibus incidit Eurus
Spumiferi Ionij fluctus quot Littora pulsent,
Quot vernos pariat flores iustissima Tellus,
Quotq; Opiterginis spicæ nascantur in agris.
Scilicet & tempus veniet spes maxima nostri,
Aut erit ille dies, sacri quo in uertice Montis
Parnasi, aut nitidam formosi Fontis ad vndam,
Gorgonei volucris quem præpetis ungula fecit,

Semper vbi tenero exornant se gramine ripæ,
Stant & purpureis distinctæ floribus herbæ,
Et suspensa sacris resonant examina lucis.
Murmurat ac placido viridissima silua susurro,
Carmina Mæonio liceat mihi digna cothurno
Scribere, & Aoniæ penitus me tradere rupi,
Pieriosq; lacus, sanctumque Helicona subire,
Et nemus umbriferum, collesq; habitare beatos:
Læta vbi Pegasides, magni Iouis inclita Proles,
Mollibus indulgent Choreis, & carmina dicunt.
Tunc mea diuino perfundent ora liquore
Musæ, Phœbæum tunc in mea pectora carmen
Influet, & latices Aganippidos Hippocrenes,
Ingenuas artes necnon Tritonia Virgo,
Mercurius facundiæ opes nos quippe docebunt.
Orphæamq; liram nobis formosus Apollo,
Auratumque dabit plectrum, sua munera tanquam.
Vt tibi præcipuas summis uirtutibus aucti
Laudes eloquio, aut musa grauiore canamus,
Auspicijsq; tuis nec nos Rhodopeius Orpheus
Vincat, & aurata modulans fide carmen Arion.
Nec non interea dictis celebrabere nostris
Regia Progenies totum manifesta per orbem,
Regia Progenies magno dignissima Cosmo,
Cuius dum gelidis resonabunt flumina limphis
Cantibus, & sacris rorantia fontibus antra,
Qua patet Oceanus, qua terras plurimus ambit,
Vates præcipuum tollent super æthera Nomen.

Eridani Carmen Elegiacum.

DVm tremefacta gemit Ventorũ murmure Tellus,
Et lacus Eridani, pulsaq; regna tonant,
Ex templo mens ipsa graui concussa pauore
Cogitat extremum Mortis adesse diem.
Quippe iterum vasto uisi Cyclopes in antro
Ictibus alternis condere tela Ioui.
Sic olim intremuit tellus, cum Pelion ossæ
Subiectum excussit percitus igne furor.
Sic latus Enceladi fundo dum voluitur imo
Concutit oppositam murmure Trinacriam.
Hinc ueluti Stygys uisa est mugire cauernis
Vndique tartarei regia nigra Dei.
Nec satis est uario tonitru luctarier intus
Flamina Ventorum pondere pressa graui;
Nec satis horribili mortalia tangere pulsu
Pectora, nec tristi reddere uerba sono,
Sed maiora oculi rerum discrimina lugent
Tristia uisa bonis, exitiosa malis.
Nempe furit nimio grauido Rex Eolus *antro*
Turbine conuellens marmora fixa solo.
Hinc Pater Eridanus uitrea sub fluminis unda
Multa gemens trepido comprimit ora metu:
Sentit ab horrisonis subuerti mœnia Flabris,
Pulchraq; Dædaleo uertice tecta rapi:
Altera Pyramidum senior miracula deflet,

Et noua funereis pergama lapsa modis.
Turribus excisis procerum lacrimabilis imo
Gurgite latifluas fletibus auget aquas.
Huc velut obsequio Regis popularia currunt
Flumina cuncta grauem commiserata senem.
Huc Tarus, huc Tanarus, Ticinus, Mincius huc &
Influit Ausonio Rhenus in orbe minor.
Huc tu etiam proprijs Laribus Vatrene relictis
Curris in Eridani rauca fluenta Patris.
Mox demum triginta suis cum fontibus amnes
Solantur miseri tristia corda Senis.
Qui tandem emersus turbato è gurgite uocem
Rumpit, & his cœli uocibus astra ferit.
Qui furor heu superum Rector iustissime? quæ me
Sic tua sollicito uerberat ira metu?
Qui sonitus? quæ tanta diu uis intima terram
Concutit? hic vnde est, & sine fine tremor?
En decus Herculeum genus alto a sanguine Troiæ
Vix fugit horrendæ funera dira necis.
Quam breuis hæc hora est? quanta hæc mutatio rerum?
Interit ecce Vrbis forma, figura, Decor.
Aurea nunc fulgent picto sub fornice tecta,
Nunc molles subeunt regia membra toros.
Atria nunc plausus edunt, nunc dulcia uocis
Carmina, nunc lætos dant sine uoce modos.
Hic canit Alcæus, Sappho, crinitus Ioppas,
Hic plectra, hic curuæ tympana iuncta lyræ.
Compita responsant Nimpharum, & fluminis antra

Permiſcent numeris gaudia læta ſuis.
Deniq; tota ciet Choreas, & prælia Martis
Ludicra Romuleos vrbs imitata iocos.
At contra horriſono repetit uaſtisſima tellus
Murmure perfractos terq; quaterq; ſonos.
Hos rurſum ingeminat uelut implacata Caribdis,
Frangit, & emoto cardine pulſa lares.
Vndique tecta ruunt, arces, faſtigia, turres,
Et quatit asſidue vaſta ruina domos.
Hinc decor antiquæ pulcherrimus occidit Vrbis,
Formaq; uix ſupereſt obruta ruderibus.
Vtq; magis tangat pauitantia pectora caſus,
Cunctaq; ſollicitet triſtia corda pauor.
En pasſim obſcuro nox intempeſta ſerenam
Lucis Apollineæ ſubmouet orbe facem.
Dumq; puer tenebras horret, dum fœmina falſis
Concutitur viſis, monſtraq; uana timet.
Ecce tremit tellus, Euri uis concita pulſat
Tartara, mors Thalamos funeris inſtar habet.
Quippe ægram genitrix lapſo ſub fornice uitam
Deſerit, & tumulum, quem fugit, ingreditur.
Hæc eadem dulcis dum pendet ab vbere natus
Suſtinet, & gemino funere turbat auos.
Vix quiſquam egreſſus tectorum limina mortem
Effugit, & ſtigiæ ſtamina pulla Deæ.
Pasſim ſaxa, trabes occludunt ſtrata viarum,
Nec ſcit quiſq; ſuæ noſce ſalutis iter.
Perterrent lacrimæ, gemitus, ſuſpiria, uoces,

Cunctaq; lethifero murmure fracta gemunt.
Quid faciant miseri? quo se iam numine quisquam
Protegat? heu quantis obruta uita malis.
Impia regna sonant, ipsisq; emersa ruinis
Anguipedum uisa est saeua redire manus;
Namq; ferox caetus grauido dum funditur aluo
Tellus ipsa iterum pondere pressa tremit.
Viribus aucta tamen, natosq; enixa rebelles
Caelitibus rursum tristia bella ciet.
At memor excelsis deiectos montibus olim
Praecipit inferius bella secunda geri,
Nec mora, ter latis extendunt brachia palmis,
Impelluntq; Dei limina sacra manu.
Fit fragor horribilis, procumbunt ictibus arae;
Sacraq; collapso uertice tecta labant.
Hic rursum gemitus, rursum exaudita piorum
In caelum it maesta uox iterata prece.
Heu pietas inuicta Dei, quo victa recedis
Crimine? quae tanti credita causa mali?
An mea progenies te sic Pater impia laesit,
Vt nec digna aditis uisa sit ipsa tuis?
Forsitan insignis nouus Hic feritate Licaon?
Phasias aut coctos docta nouare senes?
An quod & alterius narretur caena Thiestae,
Haec tua conuelli templa beata sinis?
An tua sit potius cunctis ignota voluntas,
Vt tua uel feriat iustior ira bonos.
Nempe tegis prudens haec alto mistica caelo,

Ne quisquam in terris talia nosse queat.
Non tamen obscurum est quàm sit male tuta per orbem,
Quàmq́ hominum fallax gloria, fama, decus;
Quàm male quis fluxis opibus committere se se
Pergat, & indomitæ credat Auaritiæ;
Seu mala quàm noceat, superisq́ inuisa uoluptas,
Haustaq́ Circæis pocula plena dolis;
Pellitur unde animi candor, sapientia, virtus,
Ac pius oblitæ relligionis Amor.
Quæ tu summe Pater, rerumq́ æterna potestas,
Pelle procul facili numine cuncta tuo.
Hanc tamen in primis euersam conditor vrbem
Erige sit tantis ultima pœna malis.
Nempe iacet tristis, subitoq́ exterrita casu
Sub Ioue, dum torpent frigore cuncta, manet:
Sustinet hic hyemes tardo sub sidere noctis,
Fessaq; sub tuguri cespite membra locat.
Hic fundit lacrimas, renouat suspiria, fletus,
Atq; humilis toto pectore poscit opem.
Templa etiam miseris tot deformata ruinis
Supplicibus uotis thurea dona cremant.
Dux prior Herculea pietatis imagine clarus
Sinceram præstat, nec sine teste, fidem.
Purpureo sequitur uelatus tempora panno
Frater, & accensi pectoris igne calet.
Hos ultro procerum cætus comitatur euntes,
Et puer, & castis mista puella choris.
Deniq; tota fluit lacrymis urbs inclita, teq;

Nititur alternis flectere posse modis.
His tu parce precor, miseris ne defice rebus,
Sitq; tibi nutu lædere posse satis.
Hæc pater Eridanus, simul undiq; fracta resultant
Littora; pulsa pijs fletibus astra patent.

FINIS.

